

suscitandum esse, quam ipse descendere posset. Stulta Vulpecula, non provisa fraude, ad arborem accedit proprius et ianitorem quanto potest altissimo gannitu ciet; ergo Canis experrectus, subito in Vulpeculam insilit et correptam dilaniat.

Docet fabula vim et iniurias inimicorum, quibus pares esse non valeamus, ad callicitate consilii potentiores advertendas esse.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Panis iusculo albo-viridi madidus.

Chrysóphres auratae frictae.

Pipones ad craticulam acti.

Cucurbitulae ovorum cremo conditae.

Crustulum ex chocolato.

locosa

Amicus TUCCUM visitat, eumque colla-
crimantem deprehendit:

— Ecquid tam amare fles, Tucci?

— Etenim pater alapam mihi duxit.

— Cur autem te percussit?

— Quia flebam.

Mater TUCCIO:

— Cura, ut hunc pisces bene laves.

TUCCUS: — At si semper in aqua vixit,
nonne satis lautus est?

Aenigmata

I

Credere mi suerunt armenta tuenda coloni
Principium muta: sum Iove natus ego.

II

Me recte vates dixerunt Omniparentem.
Principium mutas? Fit scobis arte mea.

F. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Laurus, Caurus,*
Taurus; 2) *Fuligo-Uligo.*

LIBRORUM RECENSIO

Post fata...

Et heu! quae fata, — Sacerdotum purpura sanguine, — resurrexit PALAESTRA LATINA in Hispanica urbe Alagón ad Caesaraugustum, moderatore I. M. Jiménez Delgado, C. M. F., qui desideratissimi viri Emmanuelis Jové laboris fuerat socius industrius, atque profitetur Palaeastram ipsam futuram ut semper fuit « Latinae linguae nutricem et magistrum, spectatum animi hospitem, in otio sociam dulcissimam ».

En primi fasciculi summarius: Iterum ad Palaeastram (J. Jiménez) — Laudes in Hispanos martyres (M. López) — Quaestiones litterariae (De epistula latina; scr. G. Gabello) — Palaestra exercitoria (Compositiones vertendae pro alumnis I, II, III et IV cursus) — Epheborum exercitations — Conloquia in schola (Dulce et decorum est pro patria mori; latine cum hispanica versione scr. I. M. Jiménez Delgado — Mirifica portenta (L. Marcos) — Bibliographia — Lectorum voces.

Quae omnia, « Palaestrae latinae » nascenti ex animo obtulimus, ea resurgent iisdem sensibus iterum iterumque iteramus!

i. f.

LIBRI DONO ACCEPTI

SYLVII ROMANI *Summa Iuris Canonici linea-
menta.* (Romae, 1939, apud Auctorem, via
Machiavelli, 50. — Ven. it. lib. 29).

Laudatio funebris Pii PP. XI, die xx februarioi
MCMXXXIX novendialium exsequiarum postrema, in Patriarchali Basilica Vaticana a revmo d. ANGELO PERUGINI ab epistulis latinis habita (Typis polygl. Vaticanis, MCMXXXIX).

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreon. Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



MONITA

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS
FRANCISCULI PRANDIUM

Singulæ pretio italic. libell. 2.

(Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituius libellarum 650 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1300, pro exteris gentibus.

Hæ vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendæ sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXVI

Romæ mense, Aprili MCMXXXIX

Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

HISTORICAE NOTAE

De prisco Romanorum regno

Urbis quænam fuerit primitiva regimini forma certo non constat; monarchicam fuisse traditio refert. Traditionem confirmant:

- a) quæ in recentiore rei romanae aetate vestigia supersunt: interregnum, regia, rex sacrorum, literæ Q. R. C. F. in fastis ad diem VIII kal. April. et Iun. appositæ, quæque legendæ sunt: *Quando Rex Comitiavit Fas;*
- b) detestatio regii nominis, quæ semper viguit in republica;
- c) analogia ex familia et gente desumpta, quibus unus pater, rex praererat;
- d) analogia quoque ex ceteris populis Indo-Europaeis deducta;
- e) analogia denique ex Etruscis.

Ex quo autem urbi palatinæ vel septimontis collis accessit, novae auctæ urbi duo an unus praefuerint reges adhuc incertum est: duos fuisse eosque simul regnavisse, Romulum ac Titum Tatium, traditio asserit; nec sine fundamento: «diarchiam» enim non inauditam fuisse ceteris gentibus Indo-Europaeis hodie communis

sententia est, ad eamque referri posse traditionem de Romulo et Remo nemo prorsus negaverit.

Septem fuisse feruntur ab anno DCCLIII ad annum DX a. Ch. n. reges Romani: de unoquoque traditio litteraria definit et annos et quæ opera gesserit: attamen nec septenarius numerus, nec tempus quo quisque regnaverit, nec quæ perfecerit aut pacis aut belli aut iuris opera certo constat, licet omnia inter fabulas amandare temerarium sit. Haec vero nemo dubitaverit: reges fuisse; quaedam saltem ex iis quæ eisdem tribuuntur perfecisse, licet non singulis quæ cuique tributa fuerint; duplicum periodum distinguendam esse in regno: primam regni Latini-Sabini, alteram periodum Etruscum; quæ prima periodo facta feruntur, ea esse obscuriora, quæ autem altera clariora, licet nec omnia illa fabulosa, neque haec omnia prorsus historicæ; complura denique in regnum, prolepsi quadam a recentioribus rerum scriptoribus deducta fuisse a reipublicæ tempore.

Septenarius regum numerus cohaeret septenario numero montium, a quo originem duxisse videtur; quod vel Livius non obscure innuit scribens: «Nam priores — (sex reges) — ita regnarunt, ut haud im-

merito omnes deinceps conditores partium certe urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctae multitudinis addiderunt, numerentur». ¹ Ita suum cuilibet e septem montibus primitiva traditio «eponimum» dederat; deinde tamen traditio obnubilata confusaque est, ut ne dignoscerent quidam quinam essent certo septem montes septimontii primitivi; ² unde septem reges veluti numina septem montium exhibentur, characteremque sacrum pree se ferunt.

Quidquid est, quum primum rerum historia describi coepta est ab annalistis Romanis, saec. III, iam septenarius regum numerus invaluerat, iam de unoquoque rege traditio paene efformata definitaque erat, non dissimilis ab ea quae et de Greciae civitatibus iam tum constituta fuerat.

Plutarchus comparationem instituit inter Romulum et Theseum; inter Numam et Lycurgum; Numa dicitur discipulus Pythagorae; Samnites et Sabini existimantur sanguine Lacedaemonio oriundi... Aliaque complura id genus dicuntur: quo anno Athenis Pisistradites, eodem prorsus (dx a. Ch. n.) exacti Roma finguntur reges: nil igitur mirum si quum haec historia scribi coepta est, saeculo nempe III, non nulla ex eo tempore translata fuerint a rerum scriptoribus primitivis in aevum regum, ea praesertim quorum origines repeti facile non possent. Adde quae a fabularum dramaticarum scriptoribus inventa excogitaque sunt. Licet vero singula certa ab incertis praecise dignosci hic non possint, ex iis tamen, quae certo constant, facile deducitur, nucleus gentium, quae in latino monte consederant primam veluti cellulam futurae urbis fuisse, atque sensim in sese absorbuisse viros, gentes, qui in montibus collibusque propinquioribus essent: Exquilino, Caelio, Viminali, Aventino, Capitolio, ubi aut Latinae gentes, aut Sabinæ, aut Etruscae aut ex his omnibus

commixtae suos vicos habebant. Praevaluit autem Palatinus, quia faciliorum ab oppugnatibus defensionem preeberet tum praeruptis parietibus, tum eminentiore altitudine, tum denique quia Tiberis fluvius, quo fere lambiebatur, et hostes arceret et vias commerciis commeatibusque preeberet. Urbs igitur quadrata facile preevaluit unamque urbem effecit cum vicis septimontii. Quae nova urbs foedus Latinum ingressa est aequo iure ac ceterae foederis urbes; sed statim viciniores vicos pagosque ipsa sibi subegit, ita ut saec. V a. Ch. n. civitas iam emineret pree omnibus circa se civitatibus et vicis, spatio circum quinque vel sex passuum millium. Haec sub regibus facta sunt, praesertim sub regibus Etruscis, quorum influxum in constituendam urbem, in constituendum regnum hodie nemo est qui neget.³

Initio gentes primitivæ civitatis Romanae fere liberae alia sub alia sunt; unio, necessitudo augetur, urgente praesertim sese defendendi necessitate; patres Gentis, qui communia simul agunt in conione, urgentiora et graviora uni committunt, qui e gremio patrum eligitur, quicunque Rex appellatur; non pater, non magister, sed Rex. Nomen igitur non dominium significat, sed officium regiminis: regendi, dirigendi; eiusque potestas Regnum dicta est; quae vox dein et constitutionem ipsam, et territorium significat.

Rex primus, creatus a patribus gentium, est qui primus eisdem suasit, instinctu quodam divino, ut una simul cooperarentur, cooptarentur, mutuo iuvarentur consilio, quo facilius hinc immigrations novas aut hostium incursions propagarent; inde vero ipsi tutius efficaciusque pree datum in finitimas terras discurrerent. Divinum profecto consilium id visum est; is

¹ Liv. Hist. II, 1, 2.

² PAIS, *Storia di Roma*, III, 2, 11.

³ Cfr. PAIS, *op. cit.* III, 2, 14.

vero qui idem suasit veluti interpres numinis habitus, eique conspiratis animis constitutio foederis gentium concredita est atque directio; inde nomen Regis. Scilicet haec non obscure innuit traditio de Romulo, qui patre Deo et ex matre sacerdote ortus, a Numitore mandatum recipit novae urbis constituendæ; et Numa et Tatius colloqui saepius finguntur cum divinitate quadam, et sacris nunquam instituta nova non inducuntur; nec sine auspiciis Rex unquam quidquid agit.

Age vero; societatis cuiuslibet politicae elementa sunt Magistratus, Consilia, Populus: de singulis ideo singillatim in proximis numeris dicemus.

SYLVIA ROMANI.

DE MUSICA SACRA¹

Secundum musicae sacrae genus, quod ex primo proficiscitur, quum nihil sit aliud, nisi ampla illius evolutio atque perfecta explicatio, est vocalis polyphonia, sive harmonicus plurium vocum concentus nullo musicorum instrumento coniunctus. Huiusmodi cantus Ioanni Petro Aloisio domo Praeneste debetur, qui musicam sacram in rectum reductam, exquisita ac pene dixerim divina arte auxit perfecitque. Sed antequam de hac vocali polyphonia verba faciamus, aliqua sunt notanda, quibus latior patebit via ad finem assequendum.

Paucos forsitan ex lectoribus praeterit a quarto ad decimum sextum saeculum post Christum natum, id est a S. Ambrosii tempore ad Petri Aloisii Praenestini aevum, musicam ex incunabulis, ut ita dicam, egressam plane perfecteque advenisse: longe enim lateque in Europa musicæ institutæ erant scholæ, preeclarissimique floruerant viri, quorum acri inge-

¹ Cfr. fasc. sup. mens. febr.

nio plura excogitata in sonitum arte atque perfecta esse accepimus, ut «notae quadratae», pro obscuris incertisque «neumis», temporis mensura ac cetera id genus. Exstiterant iam vagi illi cantores, qui vates erant iidemque musici, qui melos certis temperatum legibus excogitaverant. Exstiterat insuper societas cui nomen ex parvis ministris (italice *società dei mestrelli*), cuique plurium instrumentorum, fidium praesertim, debetur inventio. Denique multos abhinc annos maxime florebant, perfectionisque in dies iam attingebat fastigium, ea musicae artis pars, sive disciplina, quae preecepta tradit ad plures cantus inter se ita sociandos, ut ex ipsis quid unum harmonicum atque iucundum proficiscatur, quaeque italica voce *contrappunto* appellatur.

His omnibus factum est ut populi auditus atque intime sentiendi virtus, nativa rudite sensim expuncta, musica quadam instituerent disciplina, qua Gregorianum fastidirent cantum et exquisitorem vehementissime appetenter. Quare necesse fuit musicae sacrae magistros, Christifidelium ingenio indulgentes, ita religiosos instaurare cantus, ut suavius blandirentur auribus, iidemque politiore cultu nitentes menti preeberentur. Sed, ut ait Horatius,

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Modum autem et fines longe sunt praetergressi isti musicae sacrae novatores: re quidem vera neminem latet religiosum cantum id sibi praestitum habuisse, ut christicolarum animum ad Deum caelestiaque contemplanda sapienti vocum lenocinio ac virtute excitaret atque extolleret. Iam vero nobilissimum musicae sacrae finem immoderato sui amori novatores posthabentes, nihil aliud curarunt, nisi ut musici artificii intempestiva ederent documenta ad laudes captandas. Idque potissimum peccarunt Belgæ, qui cum suaviter canendi arte,

tum ea perdifficili maxime callebant musicae disciplina, qua plures voces, ut diximus, harmonico nexus inter se sociantur ad quid unum iucundum efficiendum.

Principio solebant hi musici ex antiphonario, sive ex ecclesiasticis cantibus, musicum thema mutuari, ex quo curabant ut varii inter se connexi cantus elucubratisimo elicerentur artificio. Quod etsi penitioris musicae doctrinae spectaculum Christianorum menti exhiberet, in eorum tamem animum, ut par est, suaves ac vehementes motus excitare minime poterat, quem musica iucundae artis naturam prorsus exueret atque in abstrusiorem ferme mathesis exercitationem converteretur. Sed in pravam viam Belgae ulterius progressi, musica themata, ex quibus eliciendi erant cantus, vel ex profanis cantilenis haurire non sunt dignati. Id in dedecus atque detrimentum musicae sacrae religionisque facile cessisse nemo est, qui non intelligat, quem musici sonitus ex profanis mutuatis cantionibus ipsa etiam profana verba plenrumque libera, interdum plane inhonesta, in audientium mentem revocarent. Sacra autem profani miseri deflendum erat tum ceteris in urbibus, tum potissimum Romae, ubi, musicis quibus pollebant virtutibus, Belgae inter Vaticanos cantores primatum facile obtinuerant. Atque eo tandem delirii perventum est, ut pars integra profanae cantionis, id est verba ipsa musicis notis vivificata religiosis cantibus impudico iungerentur connubio: incredibilia, sed vera! Tunc Ecclesia, sacrorum rituum decoris custos et vindex, in Tridentina synodo gravem extulit vocem et decrevit tantam pestem perniciemque a sancta Dei domo omnino esse reiiciendam prohibendamque; quod aliquot patribus purpuratis, ex quibus S. Carolus Borromaeus, providendum mandavit. Qui in primis, ut parerat, per musicos ad id designatos, verba profana nec non ipsa musica themata ex profanis cantionibus deprompta ex antiphono-

nario religiosisque cantibus expungenda curarunt. Deinde ut sacrorum rituum cantibus in posterum prospicerent, Petro Aloisio, quem supra memoravimus, utpote cum sonituum arte, tum christiana virtute maxime praestanti, officium commiserunt *Missae* hymnos et preces musicis exornandi concentibus, ita ut veluti exemplar ceteris musices magistris imitandum possent praeberi.

Huiusmodi operis exitus omnium longe excessit expectationem: non enim unam, sed tres *Missas* noster composuit, quarum duas maximam sui admirationem in musicos coniecerunt, tertia autem digna est habita, quae veluti perfectissimum musicae sacrae atque omnibus numeris absolutum exemplar sacrorum cantuum cultoribus magnopere commendaretur. Huic *Missae* nomen est a Marcello papa, cui, etsi quinque ante annos iam vita functo, auctor grati animi ergo illam dicavit, quem is Pontifex magna benevolentia egregium musicum esset prosecutus. Atque ex quo illud incomparabile musicae sacrae documentum edidit, in religiosos cantus instaurandos, perficiendos evehendosque numquam fatigatus, semper divinae gloriae appetens, perinsignis Praenestinus totam vitam insumpsit expletivitque.

Huius paeclarissimi viri, qui omnium consensu princeps musicorum est habitus, opera enumerare, eorumque exquisitissimas venieres ac virtutes ad trutinam expendere, longum et arduum est: nobis autem satis erit aliqua obiter attingere summisque labiis haurire.

Atque in primis animadvertisendum Tridentinae synodi fuisse in votis, ut sacrorum verborum conceptus et textus musicum ducerent ac divino, ut ita dicam, afflatu concitarent ad musicos modos inventiendos, quibus verba ipsa sapienter essent socianda. Id mirum in modum assecutus est noster, qui musicam vanis refertam artificiis ad iucundae eiusdemque sublimis

artis officium plane reduxit. Quo factum est, ut quae antea sacrorum rituum psalmi, hymni, preces, utpote inanibus abstrusisque sonituum coniunctionibus praeter modum vestita, intimum christifidelium pectus minime pervaderent, eadem postea a perinsigni Praenestino musicis notis sapienter vivificata, audientium animum dulce aut vehementer excitarent omnino opus esset. Noster enim, ut iam diximus, paeclarissimus erat musices cultor idemque ferventissimus christicola: quamobrem qua imbutus erat fide, eam in audientium animum per suaves aut vehementes, exquisitissima semper arte confectos cantus excitare ac prope infundere conabatur; adeo ut ex eius operibus ars atque in Deum pietas harmonico mirabilique inter se vinculo coniunctae maxime elucerent. Quae quum ita sint, mirum sane videri non debet, si fidei, veluti musae caelestis, afflatu eximius sonituum poëta ad ardua altissimaque, ceteris impervia musicis, extolli potuit. Si nostrum itaque cum viris excellentissimis velim conferre, cum Michaele Angelo Bonarrotio comparem, cui tum immanni magnitudine, tum exquisitissima operum simplicitate simillimum iudico.

Vocalis polyphonia a summo Praenestino instituta, utpote in antiquis tonis posita, generis est diatonicæ; perfecti in eam dominantur concentus, quum raro atque obiter tantum dissoni sonitus auribus accipiuntur.

Ex nostri scriptis innumeris singulari nota haec digna existimamus: quatuor et nonaginta *Missas*; tria volumina, in quibus videre est *offertoria*, psalmum *Magnificat*, hymnos musicis numeris multipli modo exornata. His adde quamplurimos psalmos, *litanias*, *Stabat Mater* et sexcenta id genus, quae brevitas gratia praetermittimus.

Sed et in profanam musicam excolandam evehendamque Praenestinus cycnus operam contulit, quum non modo plurima italica leviora epigrammata iucundis socia-

verit sonibus, verum etiam celebri musices scholae Romae a Joanne Maria Nannini institutae atque a S. Caecilia, nostris adhuc diebus, appellatae, quoad vixerit, sapienti consilio sit moderatus.

HERS.

FLORALIA

Recedente mense aprilie simulque maiorum inuenire aderant maioribus nostris quae Floralia vocabant, Deae Florae sacra, cuius secum colloquentis suavissimam effingit picturam Ovidius poëta; huic enim nomen sciscitanti respondet Dea « vernas » efflans « ab ore rosas »:

*Vere fruor semper: veri nitidissimus annus
Arbor habet frondes, pabula semper humus.
Est mihi foecundus dotalibus hortus in agris,
Aura fovet; liquidae fonte rigatur aquae.
Hunc meus implevit generoso flore maritus:
Atque ait, arbitrium tu, Dea, floris habe.
Saepe ego digestos volui numerare colores,
Nec potui, numero copia maior erat.¹*

Versus dulcissimos quod retulerim veniam facile assequar, quum suaviora de floribus haud facile scribere quemquam posse credam.

Nicaea urbs ad Varum, quod sciam, florum divitiis ac pulcritudine, primas retulit inter ceteras urbes. Assidue enim diligentiae quam eius incolae in floribus excolandis impendunt praemio sunt larga pecuniae munera, quae undique gentium ipsis ad tot florum varietatem assequendam confluent.

Ex quo id sunt assequuti, ut, vel in media rigidissima hieme (prout ait de se Dea), vere semper fruantur, et eorum floralia, florum omnium ex unaquaque etiam dissita orbis regione deductis speciebus, variisque coloribus quos numerare ferme

¹ OVID. *Fast. V.*

impossibile est, sacra facile superent maiores.

Floribus vero, quo magis progreditur humanitas, eo maiores in vita partes sunt; non tam adspectu laetissimo vel suavi afflato nos recreare quam et in sacris solemnibus adhiberi, et in conviviis et quibusvis iucunditatis horis domus ad habitus nostros exornare.

Namque et coronis ad coenam caput cingere notissimum est apud patres morem fuisse; nobis vero, et quavis in anno memori die, parentibus, amicis offerre, et in nuptiis aurantii citri corollis sponsam ornare, et in funeribus serta, vivacis semper affectus veluti pignora, defunctis tribuere.

Est etiam floribus singulis quaedam quasi praecipua significatio, et abditus sermo tribuitur colori, magnitudini, moribus, odori apprime conveniens; uti rosae amoris, et myosotis fidelitatis, et violae pudicitiae, et lilio innocentiae. Traditum vero unanimi consensu est florum omnium quasi regnum rosae, cuius vitae morumque suavissimam lectissimamque descriptio nem Plinius habet (21, 4, 10): «Germinal», ita studiosissimus naturalis disciplinae vir, «omnis primo inclusa granoso cortice: quo mox intumescente, et in vides alabastros fatigato, paullatim rubescens dehiscit ac sese pandit, in calycis medio sui stantes complexa luteos apices». Enumerat posthaec eius genera apud patres celeberrima, Praenestina, et Campana, quibus alii Milesiam illam addidere cui, duodena folia non excedenti, color est ardentissimus.

Florem, pulchritudine principem, Deorum pulcherrimae veteres sacraverant; fabulabantur immo, candidam olim fuisse, at ex sanguine Deae, cuius pedem in horto deambulantis spina forte pupugisset, purpura flagrasse, caussamque addebant, quod uti rosa brevi viget, quam

*una dies aperit, conficit una dies,
ita et forma corporis ac iuventa.*

Rosalis inde Maius mensis dictus, quod rosarum sit tempus, quamvis hodie, assidue cultu admotoque arte verno calore, hieme simul et aestate liceat coronas e rosis serere et variatissimis earum coloribus, flavo, rubro, albo, roseo, carneo, gaudere.

Inde nos suavissima edocti lege, rosarum hunc mensem Deiparae sacravimus, et Marianum ab unguiculis appellare eum potius consuevimus, rosarumque omnium fasciculos et coronas ad nitentia eius alaria, Matri dulcissime arridenti, plenis manibus dare.

A. COSTAGGINI.

ANTONIUS VAN DYCK

De Didaco Velasquez, Iberi nominis gloria, quem simus locuti,¹ aequum duccimus gemini nunc nec minus ferme celebris aemuli memoriam revocare, tum ne quas latinis nostris gentibus laudes laeti tribuimus, ceteris denegare videamur, tum ne maxima quaeque liberalium artium monumenta silentio praetereamus.

Antuerpia, in Batavorum finibus, patriam Antonii Van Dyck — de eo enim dicimus — ibi namque natus est die mensis martii 22^a anno 1599, ex Francisco atque Maria Caypers. Quem vero ipsa natura uberrimis iam ingenii donis ad pictoriem artem instruxerat, placuit fortunae non minus benigne iuvare; ipsa enim materna manu, quacum nullum comparandum est magisterium, nullaque senectute delendum, prima pingendi artificia eductus est puer. At quem praecurrenti eius alacritati omniaque celerrime addiscenti matris peritia impar brevi evasisset, Adamum Van Noost, Rubens olim in studiorum curriculo socium, primum habuit magistrum, ac paulo post, quem tertium vix lustrum

¹ Cfr. sup. fasc. mens. Ianuarii MCMXXXIX.

attigisset, ipsius Rubens, Batavorum artificum principis, scholam ingressus est. Insolitum discipuli ingenium magistro statim innotuit, placuitque ita, ut non tantum existimationem erga illum conciperet longe praecipuam, sed veraci amicitia, nunquam in reliqua vita remissa, cum iuvene prompte coniungeretur, ipso remoto invido accumulationis studio, quod profecto inter cuiusvis temporis artifices non rarum fuit.

Tunc itaque parvas primum tabulas, quas aere deinde caelari oportebat, Antonio delineandas Rubens mandavit; at simul coloribus et penicillo haud impari laude manus admoveare eum vidit, quibus factum est, ut, ne exacto quidem ab eo vigesimo aetatis anno, inter Antuerpienses liberos magistros, qui tunc dicebantur, adscitus fuerit; qui ferme honos nemini antea tam immitti iuventa contigerat.

Nec immerito; nam Arundel quidam, anglus comes, qui tunc temporis Londini inter artium liberalium patronos recensebatur, ex procuratore quodam suo Antuerpiæ degente, hos in epistola nuncios accipiebat: «Van Dyck una cum Rubens commoratur, eiusque tabulae eiusdem iam pretii ac magistri opera haberi incipiunt». Non defuerunt itaque ex Anglia litterae, ut Antonio migrandi consilium suaderent, quod licet ille initio respuerit, tandem anglici legati Dudley Carleton precibus victus, invitantibus morem gessit. At primi illius itineris brevis mora fuit, et quem cito reversus esset, carissimo suadente magistro, peregrinationem, celeberrimis cuiusque aetatis pictoribus quodammodo sacram, inire statuit. Oblata itaque ipsi Rubens, amicitiae pignore, uxoris eius effigie, acceptoque vicissim equo ex magistri stabulis nobilissimo, Italiam versus profectus est.


Nostras tunc urbes peragrans, in duabus praecipue, quas tum Velasquez, tum ceteri assueverant pictores invisere, commoratus est, Venetiis et Romae; sed Ianuuae etiam non modicum transegit tem-

pus. Ex venetis igitur tabulis, praecipue ex Titiani Vercellii operum studio, insignis eius pingendarum imaginum calliditas exculta est, ut valeret inde non tantum perfectam effigiem delineare, sed et ingenia, et animi motus ex effectis vultibus et oculis summa colorum virtute referre.

Haec namque fuit potissima eius peritia, quam pleraque sane tabulae passim per Europam testantur; in iisque immo edendis prodigiis italicica itinera absumpta fuisse patet. Effigies enim ab eo perfectae Ianuiae quinquaginta adnumerantur, quae et in *Aedibus rubris* et in gentiliciis patritiorum pinacothecis huc illuc admirantibus prostant. Romae vero Columnensis vel Barberinae gentis mandato plerumque adlaboravit: sed nec lectissimus corporis habitus, nec urbanitas eius compta maxime, summo artifici profuit, ut ab aemulorum offensionibus esset incolumis. Hae namque Romae, prout erat tunc temporis artificum frequentia maxima, vehementes adeo in illum excitatae sunt, ut abire tandem coactus, Ianuam iterum petierit, ex qua deinde navi Siciliam insulam tenuit et longam Panormi moram duxit. Ceterum Augustam Taurinorum, Mediolanum, Brixiam, Florentiam, pulcherrimas Italiae urbes, illum adiisse certum est suisque tabulis singulis illustrasse; quibus hactenus cives ii non sine iure gloriantur.

Anno 1626, patriam tandem revisit, ex eoque tempore inter familiares et consanguineos sexennio moratus absque intermissione est; quod quidem tempus iconibus praecipue centum, quas nunc eius *Iconographiam* vocant, summa peritia caelatis reddidit memorandum. Quapropter, aucta in dies magis nominis fama novas ex Anglia invitationes novaque illicia Antonio comparavit, cui sane regalis aulae iuvenes memoriae patriam iterum linquendam suaserunt, anno 1632.

Quanta igitur Caroli regis laetitia quaeque in advenientem Antonium facilitates



humanissimae fuerint non facile dixeris: domum dedit, victus, ceterosque sumptus regio scrinio imputavit; sed, quod maximum est, artificem regia amicitia cumulavit libentissime, ita ut fere quotidie diurna cum illo colloquia traheret: immo, paucis post eius adventum diebus, equestri ordine auxit. Antonius vicissim regis effigiem octo et triginta tabulis varie expressit, quas inter pulcherrima in Dresdensi museo regem regalemque uxorem magna venustate exhibit.

Neque vero rex tantum, sed omnes fere regalis aulae illustres tunc viri ac mulieres pictoris virtute quatuor iam saeculis in nostris oculis versantur, miranda artis virtute facti immortales, ipsique tantum Angli quinquaginta supra trecentum Antonij tabulas inexhausta foecunditate productas asservant.

Sed, ut erat suavis atque lenissimae indolis, in mulierum reddenda pulchritudine maxime excelluit, meritoque tum *Lady Venetiae*, Kenelm Digby uxor, tum *Lady Stanope* effigies inter eius pulcherrimas recessentur. At Venetiae illius pulchritudinem vel mortuae aeternam reddere voluit, mulierem pallentem effingens et dulci veluti quiescentem somno, cuius ad latus languida et arescens rosa fragilis eiusdem viatae symbolum esset.

Tunc tandem Mariam Ruthven uxorem duxit, ex qua unam filiam suscepit; at eximii artificis vita nimio labore confecta, in auspicatis nuptiis quiescere diu non potuit; itaque anno 1641, aetatis eius quadragesimo tertio, immatura morte absunta est. Ossa eius in sepulcro maximo honore luctuque composita, incendium, ut notum est, combussit: at innumera foecundissimi ingenii monumenta nullae fortunae vel temporis vires delere poterunt.

Constat profecto Antonium, Rubens, magistri Batavorum summi, fervidum mentis ignem non aequasse, ita ut ex eius tabulis, quae ex historia vel sacra vel civili,

aut ex religione aut ex paganorum fabulis expressa sunt, secundo loco plerumque habentur; sed potissima eius virtus innata quaedam gratia vel elegantia fuit et urbana insolita venustas, quam assequi deinde contigit paucissimis. Eius tabulae in se- riem a Smit redacta quadraginta quatuor supra octoginta enumerantur; in altera vero, quam Guiffrey proposuit, mille et quingentae; quas omnes, ubique sunt, atten- toniti posterum oculi demirantur.

I. ANTONELLI.

IESU CHRISTI ANASTASIS

*Vicit, et e tenebris sese redivivus in auras
Extulit aethereas
Regnator Ductorque hominum, quem funere diro
Perdiderat Solime,
Infelix Solime! non ulla clade piandum
Ausa movere nefas.
Vicit, et insuetum spectans natura triumphum
Protinus obstupuit.
Tunc valles concussae imae silvaeque supinis
Exsiluere iugis:
Immensumque polo liquidumque per aera visum
Emicuisse iubar;
Crederet ut solem ferventes axe profundo
Deproperasse rotas,
Luteolo caelum quae vix dum cooperat eos
Spargere prima croco.
Deiectum videas, effultam qui lapis urnam
Obiice munierat:
Aethereique duo nivea cum veste ministri
Adstiterunt tumulo,
Testantes victa reducem de morte, sepulcrum
Quem modo textit iners.
Vos, queis ex illo vitae praecepta beatae
Contigit excipere,
Vos agendum extremas Victoris nomen in oras
Ferte Ducisque decus,
Et qua bacchantes violentia solis arenas
Findit hiulca graves,
Quaque pigris horrens nebulis urgetur iniquo
Hispida terra situ.
At gentes, utcumque colant vel regna remotis
Abdita litoribus,*

*Magnarum discent laudum paeonia pronis
Auribus attonitae:
Oppressas erebi fraudes, de morte relatas
Magnifice exsvias,
Et patefacta iterum stellantia limina olympi,
Quo via certa ferat.
Tunc illae sese, lux tanta ubi fulserit, ultro
In nova iura dabunt:
Quas uni addicet Regi sanctissima casto
Foedere religio.
Nempe, tuis modo quod superest iam laudibus,
Maxime Victor, habe.*

H. N.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De demonstrativis

a) Demonstrativa quandoque genitivum supplement substantivi, cui cohaerent.

EXEMPLA: Ex *eo* numero nobis exempla sumenda sunt (CIC.) — *Haec* vos cepit oblivio (CIC.) — Si quis in caelum solus ascenderet naturamque mundi et pulchritudinem siderum perspiceret, insuavis *illa* admiratio ei esset (CIC.) — Cassivellaunus essedarios ex silvis emittebat, et magno cum periculo nostrorum equitum cum iis confligebat, atque *hoc* metu latius vagari prohibebat (CAES.) — Tu adscribe me in *talem* numerum (CIC.) — Sulpicius capitali odio a Pompeio dissidebat, quocum amantissime vixerat. Scaevola, quum in *eam ipsam* mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Laelii de amicitia (CIC.) — In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crederetur (CORN. NEP.) — *Hic*, hic sunt in *nostro* numero, qui de nostro omnium interitu cogitent (CIC.).

b) « *Is* » simpliciter rem demonstrat. Saepe significat agi de eadem re vel persona, de qua ante vel post sermo est, nec

¹ Cfr. fasc. sup.

tunc est veri nominis demonstrativum. Demonstrativo « *hic* » maior vis inest.

EXEMPLA: Post *id* praelium eumdem Pausaniam cum classe Cyprum miserunt (CORN. NEP.) — *Is* honos mihi videtur, non contumelia — Alcibiades, Cliniae filius, erat Atheniensis. Dicunt omnes qui de *eo* memoriae multa prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius, vel in vitiis vel in virtutibus (CORN. NEP.) — Sextius erat aeger: domum, ut debuimus, ad *eum* statim venimus, eique nos totos tradidimus. Idque fecimus, praeter hominum opinionem, qui nos *ei* iure succensere putabant, ut humanissimi gratissimum et ipsi et omnibus videremur (CIC., *Ad Quint. fr.*, II, 8) — Alexander moriens annulum suum dederat Perdiccae. Ex quo omnes conicerunt *eum* regnum *ei* commendasse, quod liberi *eius* in suam tutelam pervenissent (CORN. NEP., *Eum.*, 2) — Cohortem in medios hostes inducit. *Eos* perturbatos atque alios alibi resistentes interficit (SALL.) — Ne *eo* quidem tempore quisquam loco cessit (CAES.) — Manlius Torquatus filium suum, quod *is* contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit (SALL., *Cat.*, 52) — Collis erat leniter ab infimo acclivis. *Hunc* ex omnibus fere partibus palus difficilis cingebat (CAES.).

c) « *Hic* » ad primam personam refertur et designat ea quae *ei* proxima sunt.

EXEMPLA: Sumus parati abuti tecum *hoc* otio (CIC.) — Si placet, deduc orationem tuam de caelo ad *haec* citima (CIC.) — *Haec* aetas habuit *hunc* exitum satis felicem (CIC.) — Confectis *his* rebus, ad oppidum exercitum adduxi (CIC.) — Iter faciebam in castra, quum *has* litteras dabant (CIC.) — *Hanc* urbem *hoc* biennio evertes (CIC., *Somm. Scip.*) — Potestne tibi *haec* lux, Catilina, aut huius caeli spiritus esse iucundus? (CIC.) — Eodem anno Capitolium saxo quadrato substructum est, opus vel in *hac* magnificentia urbis conspicendum (TIT. LIV.) — Ante *hos* sex

menses male dixisti mihi (PHAEADR.) — Ita ad hoc aetatis a pueritia fui, uti omnes labores et pericula consueta habeam (SALL.) — Nondum haec quae nunc tenet saeculum negligentia deum venerat (TIT. LIV.) — Potius ad antiquorum diligentiam quam ad horum luxuriam dirige domus aedificationem (VAR.) — Me status hic reipublicae non delectat (CIC.) — Antequam delectata est Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia effecerat (CIC.).

d) « *Iste* » ad secundam personam referuntur.

EXEMPLA: Quāvis mallem causam quam *istam* quam dicis (CIC.) — Nos autem, viri fortes, satisfacere reipublicae videntur, si *istius* furem ac tela vitemus (CIC.) — Iisdem hic sapiens, de quo loquor, oculis, quibus *iste* vester, caelum, terram, mare intuebitur (CIC.) — Quae tua est *ista* vita? (CIC.) — Iam tibi extorta est *ista* sica de manibus (CIC.).

e) « *Ipse* » usurpatur quo melius dignoscatur persona aut res, de qua est sermo.

EXEMPLA: Brevis ira est *ipsa* memoria iracundiae (PUB. SYR.) — Avarus *ipse* miseriae causa est sua (PUB. SYR.) — *Ipsa* republica nihil mihi est carius (CIC.) — Brevis *ipsa* vita est, sed malis fit longior (PUB. SYR.) — Gladiator in *ipsa* arena consilium capit (PUB. SYR.) — Causam apud vos accusantibus meis *ipse* legatis dico (TIT. LIV.) — Aruns, ubi Brutum cognovit, inflammatus ira: « Ille est vir, inquit, qui nos extorres expulit patria. *Ipse* ille nostris decoratus insignibus magnifice incedit. Dii, regum ultores, adeste! » (TIT. LIV.) — *Ipsaque* tellus omnia liberius, nullo poscente, ferebat (VERG.) — Arbores serit diligens agricola, quarum aspiciet baccam *ipse* nunquam (CIC.) — Tantum cuique amicorum tribuendum est, quantum *ipse* efficere possis (CIC., Am., 20).

f) Quando « *ipse* » adnectitur pronomi-

nibus personalibus, possessivis, reflexivis, induit casum nominativi aut regiminis iuxta sensum.

EXEMPLA: *Ipsa* se virtus satis ostendit (SALL.) — Non aliter vidi existimare vel Cn. Pompeium, quem omnibus qui unquam fuerunt, vel P. Lentulum, quem *mihi ipsi* antepono (CIC.) — Imitatio per se *ipsa* non sufficit, quia pigri est ingenii contentum esse iis quae sint ab aliis inventa (QUINT.) — O magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, sollertia, contraque fictas omnium insidias facile se per se *ipsa* defendit (CIC.) — Eodem modo erga amicum affici debemus quo erga nosmetipsos (CIC.) — Nero se *ipse* interfecit — Avarus timet ne *ipse* se furetur — Qui se *ipse* norit, intelliget se habere aliquid divinum — Qui se *ipsum* laudat, cito derisorem invenit (PUB. SYR.) — Sapit nequicquam, qui *sibi ipsi* non sapit (PUB. SYR.) — Virtus ad beate vivendum se *ipsa* est contenta (CIC.) — Primum diis immortalibus gratias agetis, deinde *vestrae ipsorum* virtuti (TIT. LIV.) — Vel *meo ipsius* interitu mallem litteras meas desiderares, quam eo casu quo sum gravissime afflictus: quem ferrem certe moderatius, si te haberem (CIC., Fam., IX, 11) — Tu te *ipse* agnosces (CIC., Am., 1) — Eam fraudem *vestra ipsi* virtute visitastis (TIT. LIV.) — *Ipse* percussit patrem, an aliis occidendum dedit? (CIC.).

I. JSS.

NOSTRA RES

Ad renovandum latinae linguae usum

JOSEPHO HOLZER, viro clarissimo, JOSEPHUS FORNARI, *Almae Romae* commentarii Moderator, s. p. d.

Cupienti tibi, ut quid ego sentirem de propositis a te latinis vocabulis ad « automobilem » nunc in usu res exprimendas,¹

¹ Cfr. fasc. mens. Iunii et Iulii MCMXXXVIII.

in ipsius *Almae Romae* paginis revelarem, libenter morem gero. At in primis repetenda mihi est ratio, quam de novis vocabulis inducendis fixam habeo: minimum cudi debere, atque tantum ex necessitate, novarum vocum numerum, ne novam linguam creare videamur, potius quam latinam revocare novisque floribus cumulare, quibus et Romanus antiquae aetatis, et latinitatis quisque nostrorum temporum cultor, ortogenesim quam carperet, sese exornare non dederet.

Atqui uter comprobare, uter immo intelligere posset, si de « *diga* » verbum fecisses, vocabulum hoc currus illos indicare, quos ubique semoventes adspicimus? Dixeris verbum ipsum ex eo deductum, « quod desit iugum »? Sciunt vero omnes particulam *di* et *dis* praepositiones esse, quae in compositione — (ibi enim tantum reperiuntur) — vulgo significant separationem, divisionem, et in diversas partes, seu *huc illuc*, positiones; et de iugo ad amussim succurrunt « *diiugo* » et « *disiugo* », significantia: « duo veluti iugo copulata seiungo, separo... ».

Itaque, Holzer mi, facile tibi persuadet minime me « *digae* », quam tu et Avenarius noster carissimus a « *Praecone* » illo Americano-Latino mutuasti, assentiri posse. Ecquid igitur?

Plura sunt ad rem passim proposita: *Currus automobilis* — *Automobile* — *Currus motorius* seu *Rheda motoria* — *Currus vel Rheda ultronea*, *Automoton*, *Autocinetum*, *Vehes ex sese actae...*

Profecto postrema haec dictio ad rem generice significandum haud spernenda mihi videtur; atque magis certe, quam reliqua.

Quamquam, de hisce, si adiectivus *mobilis* rem designat quae facile movetur, quae *huc illuc* facile vertitur; et etiam vallet *celer*, *velox*, *mutabilis* in utramque partem; si, adiecta voce *auto*, additur sensus intimae vis sua, *automobilis* vox cum

curru, *rheda* et similibus coniuncta satis superque, aut ego fallor, rem exprimit; quod vero haud mihi praestare videtur neutrum illud et nudum *automobile*, quod et ad alias quoque machinales res transferri potest.

Idem dicas de adiectivo *motorius*; quippe quod vim movendi significat, atque habentem motum; non quidem de *ultroneo*, quod sonat « *spontaneum*, *voluntarium* ».

Restant *automaton* et *autocinetum*.

Automaton, si recte memini, vectrae automobili nomen primus applicuit vir ille antiquitatis magister Iosephus Bonavenia e S. I., qui dum vixit labores nostros consilio et opere adiuvit. *Automaton* (ex graeco fonte *μάτω* = moveor) profecto est machina ex sese movens; eam vero Forcellinius his verbis recenset: « *Machina ita artificiose contexta, ut dispositis intus ingeniosis rationibus, ipsa sua sponte moveri videatur* »; addit vero, exemplisque confirmat, « *qualia sunt horologia et aliae id genus machine versatiles* ». Nisi igitur aliud verbum cum hoc copuletur, quod aliquo modo vectoriam rei naturam designet, ambagibus facile quis decipi poterit.

Autocinetum, et ipsum graece efformatum, in latinis lexicis non inveni. Müllerius verbum *κίνημα* item quod *κίνησις*, interpretatur: « *Motus; maxime animi motus, sollicitudo; et etiam seditio; grammaticae autem: desinentia, inflexio* »; « *κινητός, η, ον* et *κινητός, ον* = mobilis ».

Redit igitur in casu saltem neutrum illud nudum *automobile*, de quo superius loquuti sumus.

* * *

Quibus de hodierna nostra re in genere dictis, ad species deveniamus.

Limousine et *Cabriolet*. — Pro altero vehiculi genere meum « *covinnum* » seu « *covinum* », Holzer carissime, accepisti. Quod si vero consideraveris vocabulum illud a me propositum fuisse quod intror-

sum duceretur,² facile tibi persuadebis ad *cabriolet* pariter significandum adhiberi posse: quae enim in re ipsa inter utrumque differentia? *Limousine*, opinor, nomen fortasse accepit ab officinae loco in Limoviciana provincia (Gallice *Limousin*), ubi primum pilenti illud genus fabricatum est. Nomen autem *Cisii*, quo reddere tibi placuit *cabriolet*, ego vehiculo illi motori tribuere maluerim *rennwagen* tuo, quod scilicet ad cursum aptatur. Cisio enim Romani utebantur, quum iter volebant celeriter confidere; de quo inter exempla a Forcellino allata, aptissime ad hunc meum usum aptari illud a Vergilio desumptum videtur: «Neque ullius volantis impetum cisii — Nequissse praeterire». Cisio denique respondere posse puto *sportwagen* quoque, eousque saltem mihi non revelaveris ad quos gymnicos alias ludos, praeter cursum, huiusmodi vehiculum conficiatur.

Inter *omnibus* et italicum *torpedone* pariter nullam, vel prope nullam ex rei natura discrepantium invenio; at duo hic mihi latina vocabula succurrunt: *petoritum* nempe et *rhea*. Vox *Petoritum* vel *Petorritum* nihil aliud sonat quam «rotarum quattuor», nec aliud ad rem addit Forcellinius; Rich vero asserit illud praeципue adhibitum fuisse ad subvectionem servorum et familiarium. Subvectio haec itaque pro hominibus inferioris ordinis erat, atque globatim efficiebatur. Nonne licuerit *petoritum publicum*, quod vulgo *omnibus* nuncupatur, appellare? Sed melius *rhea*, «vehiculum gestandis hominibus et sarcinis idoneum (FORCELL.)», quod ita describit Rich: «Magnus capaxque currus quattuor rotis actus, atque p'uribus subselliis instructus, ita ut aptus esset ad magnam hominum catervam cum suis sarcinis et commeatu vehendam... Probabiliter similis erat Gallico char à

bans, tegimine addito». Rheda igitur vehiculo quod vulgo *torpedone* nominamus optime respondere mihi videtur cum appellatione quoque, si tibi ita placet, «circumvaga»; atque non minus *omnibus*, si adiectivum «publica» addideris.

Denique cuiusnam rhedae genus sit, quod *sodaliciarum* tu appellas, fateor me prorsus non intelligere, ut mentem meam ad rem aperire possim. Quo, ut ita dicam, in ipsa re tibi aliquid rependam, currus alias duos, nunc automobiles et ipsos factos, quorum mentionem haud fecisti, — carrum scilicet invalidis ferendis, et qui *camion* vulgo audit — latine indicare auserim. Alter *arcera* erit; quo nomine ipsi Romani significabant «plastrum tectum undique ex tabulis, quasi area quaedam magna; quo vehiculi genere senes et aegroti cubantes vectabantur et straguli ueste sternebatur»; *chamuleus* alter, Romana trahea ad magna pondera vehenda.

Sed iam claudamus rivos, eoque magis quod fere *omnibus* vocibus assentior, automobilium vehicularum partes indicantibus. Excipio vero «replum» et «textum» ad *chassis* indicandum, «cauteri» vel «cautere» contentus; excipio «pedamentum» vel «pedamen» ad *gashabel* vertendum, quippe quae vocabula «palum vel ridicam ad vites aliasve plantas infirmiores fulciendas» unice significant; iisque «adminiculum», vel etiam «statumen» sufficiam; excipio «segestria» praeter «cophinum»; «segestria» enim plura straguli genera quaedam dicebantur; ideoque ea ad *verdeck* recte significandum tecum servo. Vale.

Regat disciplinae rigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet rigorem, et sic alterum commendetur ab altero, ut nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

S. GREGORIUS.

² Cfr. RICH. *Lexicon antiquitatum Graecarum et Romanarum*, voc. *Covinus*.

ROMA SACRA

Homilia de pace a Ss̄mo D. N. PIO Pp. XII inter Missarum sollemnia in templo Va- ticano dicta die Christi anastasi sacra huius anni MCMXXXIX.

Quoniam Paschalia Sollemnia opportunitatem Nobis praebent summo cum paterni animi Nostrī gaudio vos salutandi, vos dicimus, lectissime Ecclesiae Senatus, vos quotquot adestis. Venerabiles in Episcopatu Fratres, e Romano clero Praesules vel sacerdotes, ac denique omnes e Religiosorum ordine et e christiana plebe dilectissimi filii — quorum piae capienda multititudini amplissimum hoc Petrianum templum iam videtur angustius — non aptiore modo Nos posse dicendi initium facere putamus, quam si pulcherrima illa iteremus verba, quibus Divinus Magister ab inferis suscitatus suos discipulos affatus est: «Pax vobis» (Ioan., XX, 19). En pacis omen pacisque consulatio!

Qui scilicet, quum eius adventus in expectatione erat, «Princeps pacis» (Is., IX, 6) prae-nuntiabatur; qui nascens angelicis illis excipitur concentibus: «Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis» (Luc., II, 14), humani generis Redemptor pacis praeco ac sequester exstitit, secundum illud Apostoli gentium: «Evangelizavit pacem» (Eph., II, 17). Quae tamen pax non colluctationibus vacua contentionibusque fuit; quandoquidem eam Christus Dominus, quum «mors et vita duello conflixerit mirando», (Ex sequentia Pasch.) ad mortem usque certando, quasi crux sui partaeque victoriae pretium assecutus est, «pacifcans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt» (Coloss., I, 20).

Iure igitur meritoque Paulus Apostolus non modo eam, solaci plenam invocationem saepenumero geminat «Deum pacis, Dominum pacis» (Rom., XV, 33; XVI, 20; I Cor., XIV, 33; Philipp., IV, 9; I Thess., V, 23; II Thess., III, 16; Hebr., XIII, 20) sed sacrorum vatum veluti referens vocem (Mich., V, 5), Iesum Christum pacem nostram appellat: «Ipse est pax nostra» (Eph., II, 14).

Quae quidem in praesens animadvertere atque perpendere valde consentaneum ducimus

ad animos relevandos recreandosque, dum pax tantopere ab omnibus conclamat, discipitur atque invocatur. «Tantum est enim pacis bonum ut... nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri» (S. Aug., *De Civ. Dei*, XIX, 11).

Attamen hodie, si unquam alias, illa Ieremiae Prophetae verba peropportune quadrant, qui homines dicentes inducit: «Pax, pax: et non erat pax» (Ier., VI, 14; VIII, 11; Ezech., XIII, 10). Etenim si oculos circumquaque convertimus, triste quoddam spectaculum occurrit! Siquidem cernere est permotus multis in regionibus cives suaque sorte inquietos formidolosa quadam perturbatione angi, quae peiora portendere mala videatur. Anxitudo trepidi animos incessit hominum, quasi iam deteriora impendeant pericula atque immineant.

Quae omnia a serena illa ac tuta «ordinis tranquillitate» (S. Aug., *De Civ. Dei*, XIX, 13), quae pacem veri nominis continet, quam longe absunt! Ac verum enimvero quomodo integra ac solida pax habeatur, si vel eiusdem nationis filii, communis stirpis saepe communisque patriae immemores, civilium partium commodis, simultatibus contentionibusque abstrahantur ac distineantur? Quomodo habeatur, dicimus, si tot hominibus, ad centena milia bene multa, laboris opera desit, ex qua non modo singuli ciues honeste vivere queant, sed multiplices etiam eorum vires facultatesque, quibus natura, studium et ars humanae personae dignitatem honestaverint, necessitate quadam ingenuoque decore exerceri possint? Quisnam vero non videat ex hisce rerum adjunctis inumeras coalescere multitudines, in quibus ob miserrimum statum animorumque abiectionem — quae tam acriter eorum deliciis adversantur, qui luxuriose vivunt, nullamque indigentibus opem ferunt — facilem ii praedam agant, qui mentibus fucata veritatis specie deceptis corruptrices doctrinas insidiando alliciendoque ingerant? Ac praeterea, quomodo habeatur pax, si inter Nationes etiam mutua desideretur et aequa rationum aestimatio animorumque consensio, quae per fulgens civilis progressionis iter dirigere gentes queant? Dum, contra, conventiones sollemniter sancitae ac data fides ea interdum vi securitateque destituantur, quibus debita invicem fiducia continetur ac roboratur; qua dempta, crescentem armorum apparatum minuere ac

remittere animosque pacare — quod omnibus in votis est — difficilis usque cotidie evadit.

Qua ingruente formidolosa tempestate, vehementer adhortamur omnes ut ad pacis Regem mortisque Victorem redeant, a quo consolatoria haec verba audivimus: «Pax vobis». Largietur ille nobis — quemadmodum pollicitus est — pacem, pacem suam, eam inquit, quam mundus dare non potest, pacem; quae nimis una omnem animorum perturbationem trepidationemque componere ac sedare potest: «Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet» (Ioan., XIV, 27).

At quandoquidem externa hominum tranquillitas ex interiore reniteat oportet, necesse est in primis animorum curare pacem; eamque, si desit, sibi comparare quam primum; si vero adsit, diligenter colere, tueri ac servare incolument. Etenim Christus Dominus, non sine gravissimo mentis suaे consilio, hodierna die, cum primum Apostolis se ab inferis suscitatum conspiciendum dedit, pacis salutationi suaे pretiosissimum pacis munus adicere voluit, Paenitentiae videlicet Sacramentum; ita quidem ut sollemni ipso Anastasis eius die salutare illud institutum oriretur, quod in animis divinam restituit ac renovat gratiam, quae de morte, scilicet de culpa, est vitae triumphus. Ad inexhaustum huiusmodi veniae pacisque fontem pia mater Ecclesia filios suos omnes sacro hoc paschali tempore enixe advocat. Quodsi singuli universi studiosissimae huic adhortationi ultra libenterque obsequentur, uberem florentemque adipiscuntur in Christo vitam; atque adeo suavissimo fruentur gaudio illius pacis, qua, amantissem perfecteque Divino Redemptori obtemperando, in cupidum voluntatumque illecebras dominari poterunt. «Vult autem — ut S. Augustini interrogatione utamur — mens tua idonea esse vincere libidines tuas? Subdatur maiori et vincet inferiorem: et erit pax in te vera, certa, ordinatissima. Qui est ordo pacis huius? Deus imperat menti: mens carni: nihil ordinatus» (Miscell. Agost., vol. I, S. Aug., Sermones post Maurinos reperti, pag. 633, 15-18).

Videtis igitur, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, quo uno ac firmissimo nitatur fundamento pax veri nominis: semipaterno nempe Dei Numinis, quod agnoscere, observare ac colere, cuiusque praecepsit obtemperare, omnibus of-

ficium est. Debitam eiusmodi Divino Creatori obedientiam extenuare vel penitus restinguere idem profecto est ac ipsam turbare vel prorsus infringere cum privatorum hominum, tum domestici convictus, tum singularum Nationum, tum denique totius humani generis tranquillitatem. Unus siquidem Deus «loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor» (Ps. 84). Omnipotens Dei nutu solummodo — supremi nempe iustitiae tutoris, supremique pacis largitoris — «iustitia et pax osculatae sunt» (Ps. 84); quandoquidem, ut Isaías propheta cecinit: «Et erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in sempiternum» (Is., XXXII, 17).

Quemadmodum enim nullo rerum ordine pax haberi non potest, ita pariter, remota iustitia, rerum ordo consistere nequit. Iustitia vero postulat ut auctoritati legitime constitutae debita tribuatur observantia atque obedientia; ut leges ad commune bonum sapienter conformentur, iisdemque ab omnibus pro conscientiae officio obtemperetur. Iustitia postulat ut sacrosancta humanae libertatis dignitatisque iura omnes agnoscant, tueantur; utque innumerae opes atque divitiae, quas Deus per universum terrarum orbem profudit, in suorum omnium utilitatem filiorum consentanea rectaque ratione distribuantur. Iustitia denique postulat ut salutaris opera catholicae Ecclesiae, quae veritatis est magistra falli nescia, inexhaustus animis vitae fons civilisque consortium altrix praecipua, ne detrectetur neve prohibeatur. Quodsi nobili iustitiae sceptro violentiae arma succedant, tum quisnam miretur orientem aetatem non optatissimum candidae pacis fulgorem, sed caliginosos cruentosque bellorum ignes afferre?

Iamvero iustitia utique eo spectat, ut normas constitutae integrasque servet illius rerum ordinis, qui primarium atque praecipuum solidae pacis fundamentum existat; ea tamen sola una difficultates atque impedimenta evincere non potest, quae saepenumero efficiendae stabilidaeque tranquillitati obstant. Quapropter, si rigidae destrictaeque iustitiae caritas fraterno foedere non coniungitur, facilius mentis oculi quadam praepediuntur caligine, ne aliena iura certant; auresque absurdescunt, ne vocem illius aequitatis audiant, quae, si volenti sapientique studio edisseratur, asperimas etiam ac salebro-

sas causas, quae in controversiam cadunt, ordine rationeque endare atque explanare potest.

Quum vero heic de caritate loquimur, effectricem illam intelligi volumus ac generosam, quam Christus invexit, caritatem. Caritatem dicimus, quae Divinum Redemptorem ad mortem usque, salutis nostrae causa, compulit: «Dilexit me et tradidit semetipsum pro me» (Ad Galat., II, 20); caritatem quae «urget nos» (II Cor., V, 14), idque facit, ut «qui vivunt, iam non sibi vivant sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit» (II Cor., V, 15); caritatem denique, qua Christus permotus «formam servi» (Philipp., II, 7) accepit, ut omnes in eo fratres efficemur, qui est «primogenitus» (Rom., VIII, 29), filii nempe eiusdem Dei, eiusdem regni heredes, et ad eiusdem sempiternae beatitatis gaudia vocati.

Si mortalium animi tandem aliquando huius amoris suavitatem haurient, in eademque conquiscent, tum procul dubio laboranti humano generi pacis lumen illucescat. Irae perturbationibus, quae irritant, ratiocinantis mentis tranquillitas succedit; immodicae effrenataeque contentioni benevolens adiutricis operae collatio; simultati denique aequa ac mutua rerum rationumque aestimatio; ita quidem ut formidolosam eiusmodi animorum concitationem praefidens excipiat requies ac serenitas.

Viam repetent homines, qua ad amica foeda remigrabitur, in quibus uniuscuiusque commoda utilitatesque iusto benignoque ordine pendantur; in quibus ne iacturae quidem singulorum defugiantur ad potiora humanae familiæ bona assequenda: in quibus denique data publice fides probe volentibus omnibus in exemplum vigeat.

Quae ut effecta dentur, utque flagrantissima haec vota Nostra ad exitum auspicio deducantur, Nos temperare Nobis non possumus quin singulis civibus, populis eorumque moderatoribus praefervidam illam ad pacem, iustitiam caritateque innixam, invitationem hortationemque iteremus, quam, vixdum ad Supremi Pontificatus verticem evecti, ad eos omnes convertimus. Imprimis vero manus oculosque erigimus ad «Regem Regum et Dominum Dominantium» (I Timoth., VI, 15), supplices eidem admoventes preces, quas hodiernis Paschalibus Sollemnibus sacra Eucharistici Sacrificii liturgia inducit: Do-

mine Deus, qui per Ecclesiae vocem hisce diebus filios tuos omnes ad sacrosancta mysteria convocas, ad divinum nempe tuae carnis pabulum, ad sanctissimumque tui sanguinis potum; tu, qui singulos universos ad tuum altaris sacramentum congregatos exoptas, quod tuae est erga nos omnes caritatis munus pretiosissimum itemque signum ac vinculum illius amoris, qui nos fraterno foedere coniungit; tu, Domine Deus, «spiritum nobis... tuae caritatis infunde, ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes». Amen.

ANNALES

Cecoslovachiae reipublicae finis

Idus Martiae Cecoslovachiae reipublicae finem imposuere, quae in Germaniae custodiam cessit. Improvisus eventus, per quem Germanicae copiae reipublicae eiusdem loca occupaverunt, longe lateque hominum animos pepulit, quorum imago maxime per Chamberlainum, supremum Anglorum administrum, in publicorum suorum legatorum coetu resonuit. Ibi enim is contendit veram iuridicam auctoritatem concedi non posse gentium custodiae in Europae corde constitutae; conquestus est Germanicum Cancellerium auctorem ad rem instituendam fuisse, nulla praemissa illarum consultationum, quas in conventu Monacensi superioris mensis Septembris promiserat; neve affirmet Cecoslovachiae reipublicae praesidem primumque administrum Germanicam suae civitatis tutelam invocasse: constat enim, priusquam ii Berolinum pervenissent et ad Cancellerium visitandum admissi essent, Germanorum agminum iter ad Pragensem urbem fuisse pronuntiatum, ita ut infra perpaucas horas eam occupaverint. Hitlerus praeterea fidem praestiterat tum nullam aliam contentionem de Europaeis territoriis a Germania haberi, tum minime a se desiderari Cecos hodiernae Germanicae rationis fieri

participes, sed tantum Germanos eorum regionis incolas; ab actione itaque pro politica unitate principio gentis fulta, ad actionem processum est, quae civilem Germanicam rationem transfert in adversus diversarum gentium campum. Hinc denique necessario universus isque ingens augendorum armorum impulsus procedet.

Quidquid fuerit, profecto effugere neminem poterat Cecoslovachiam ne post conuentum illum Monacensem firmam suae vitae rationem transfert in adversus diversarum gentium campum. Hinc denique necessario universus isque ingens augendorum armorum impulsus procedet.

Quidquid fuerit, profecto effugere neminem poterat Cecoslovachiam ne post conuentum illum Monacensem firmam suae vitae rationem transfert in adversus diversarum gentium campum. Hinc denique necessario universus isque ingens augendorum armorum impulsus procedet.

consiliorum observantiam tutetur; itaque ei datur et facultas ad rem agendi sua ipsius auctoritate atque etiam suam intercessionem ferendi legibus, decretisque, vel ad simplicem administrationem spectantibus. Exterorum negotiorum actio Germaniae tribuitur, quae invicem militarem tutelam concedit, ad rem statuens opportunitatis locis aedificationes et praesidia. Ius pariter sibi servat promulgandi leges provisionesque, itemque provinciarum administrationem assumendi.

Memel portus Germaniae adjunctus

Memel portus, quae postremis superioris mensis Martii facta est, Germaniae adjunctio facile prospici poterat. Cui quomodo Lithuania resisteret? Data a Germania fide rationem late se habituram oeconomicarum Lithuaniae rationum in ipso portu, huius civitatis moderatores possessionis suae in Germaniae favorem missum fecere.

Hispanici bellis civilis finis

Hispanicum civile bellum, quod tot ci-vium miserandae caedis causa diurna fuit, feliciter tandem conclusum est. Madrido enim urbe capite ad deditio-nem coacta, « Nationalistarum » exercitus triumphans eam ingressus est, ad turpem fugam reliquiis Communistarum exercitus adductis. Nunc, animorum concordia renovata, infelix ille populus, pristinae virtutis nunquam oblitus, eam ad omnium rerum instauracionem in Christi humanitate convertet; quod felix, bonum faustumque siet!

POPLICOLA.

Praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset.

CICERO.

Restat ut summa saltem principia resumamus, quibus Bohemia et Moravia Germaniae hodie adstringuntur. Suis legibus quidem sunt; supremis publicae rei administrator utitur quidem iuribus civitatis principis, sed ad suum munus exercendum gratia debet valere Germanici Cancellarii, qui « Protectorem » eligit, ut politicorum

VARIA

De imperiorum prorogatione¹

Reipublicae Romanorum formam si quis accurate intueatur, is deprehendet primariam illius interitus causam ex agrariis contentionibus et magistratum prorogatione ortam esse.

Quibus morbis, si in tempore prospectum fuisset, diuturnior esse publica libertas potuisset, magisque pacata. Nam etsi ob prorogata imperia seditiones Romae ortae nullae videantur, constat tamen eos, quibus prorogati fuere magistratus, ad tantam auctoritatem potentiamque pervenisse, quae publicae libertati perniciosa fuerit. Evidem si omnes, quibus aliquando continuati magistratus sunt, Lucio Quintio similes fuissent, nullum ex ea re periculum creari publicae libertati potuisset. Nam quum inter plebem ac patres contentiones essent, et plebs eosdem Tribunos (quod aptos illos ad resistendum patribus putarent) in sequentem annum denuo creasset, et patres ob eamdem causam Quintio consulatum prorogare vellent, restitit ille vehementer, nec passus est ut patres plebem, in re, quae mali exempli esset, imitarentur, magnaue contentione obtinuit, ut novi consules crearentur.

Huc si ceteri cives Romani fuissent imitati, nequaquam pessimo exemplo, antiquum de continuandis magistratibus senatusconsultum solvissent, neque etiam ex hac magistratum continuatione ad prorogationem Imperii ventum esset quae res perniciem Reipublicae attulit.

Primus, cui Imperium prorogatum est Romae fuit P. Philo. Nam quum is Paleopolim obsideret, et sub finem consultus sui videretur in manu victoriam habere, nullum illi successorem miserunt,

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine vertit H. BINDI.

sed, prorogato imperio, eum proconsulem renuntiarunt. Sed haec res, etsi publici boni causa a senatu decreta fuisset, tamen, successu temporis, in pessimum exemplum abiit, et Reipublicae tyrannidem induxit. Nam quanto magis procul ab Urbe bellum gerendum erat, tanto magis necessaria videbatur ista imperii prorogatio. Hinc autem factum ut pauciores cives Romani in re bellica excellere potuerint, quum pauciores imperatores fierent, omnisque belli gloria ad paucos quosdam, quibus imperia prorogabantur, rediret. Praeterea facere poterat is imperator, qui egregio exercitu longo tempore imperasset, eum sibi devincire, ut Senatus P. Q. Romani quadammodo oblitus, solos imperatoris fasces agnosceret. Nam ob hasce causas factum est, ut et Marius et Sylla exercitum adversus Rempublicam comparare potuerint, et Caius Caesar ipsam Rempublicam invadere, et occupare. Quare mala nunquam accidissent S. P. Q. Romano, si illa magistratum et imperiorum prorogatio non in usu fuisset. Quod si obiicias, non potuisse res tantas geri a populo Romano in locis tam remotis ab Urbe, nisi confirmati fuissent imperatoribus magistratus; ad id ego respondeo, tardius quidem tantum imperii fastigium forte potuisse occupari; sed idem illud postea durabilius fuisse; nec tam cito potuisse monarchiam, sublata publica libertate, introduci.

Canis, Gallus gallinaceus et Vulpes

Canis et Gallus societate inita una iter faciebant. Noctu in agro deprehensi, quum tenebrae viam obscurarent, sic acquiescendum statuere: ut Gallus in arboris ramis insideret, inferius autem in cavum truncum irreperet canis. Cantante vero suo more Gallo, excitata Vulpecula currit, atque illum hortatur ut descendat; cupere enim sese complecti avem tam grata et suavi voce praeditam. Cui respondit Gallus, ianitorem, qui fores panderet prius